

Joachim Hartmann


**Programma, Qvo, Ad Festvm Nativitatis Domini Et Salvatoris Nostri Iesv Christi,
Pie Et Sancte Celebrandvm, Qva Decet Observantia, Hvmanitate, Et Diligentia,
Cives Academicos ... Admonet, Hortatvr, Et Excitat : Atqve In Viri Svmmme
Reverendi ... Io. Sal. Semleri, S. S. Theologiae Doctoris, Et In Academia Hallensi
P. P. O. ... Paraphrasin Epistolae Ad Galatas, Etc. Dilucidationes, Easqve Nvnc
Qvidem Inchoatas, Et Prolegomenorvm Partem, De Epistolae Scriptae Tempore
Et Loco Respicientes**

[Rostock]: Ex Officina Heredvm Adlerianorvm, [1785?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn878979743>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1785. Weihn.

~~A-1256. 421. f.~~

Wetm. 178

PROGRAMMA,
QVO,
AD FESTVM NATIVITATIS
DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI
IESV CHRISTI,
PIE ET SANCTE CELEBRANDVM,

QVA DECET
OBSERVANTIA, HVMANITATE, ET DILIGENTIA;
CIVES ACADEMICOS O. O. HONORATISSIMOS
ADMONET, HORTATVR, ET EXCITAT,

ATQVE IN
VIRI SVMME REVERENDI, ET DOCTISSIMI
DOMINI IO. SAL. SEMLERI
S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS, ET IN ACADEMIA HALENSIS
P. P. O. LONGE CELEBERRIMI,
PARAPHRASIN EPISTOLAE AD GALATAS, ETC.
DILVCIDATIONES,
EASQVE NVNC QVIDEM INCHOATAS,
ET PROLEGOMENORVM PARTEM, DE EPISTOLAE
SCRIPTAE TEMPORE ET LOCO




RESPICIENTES,
PRAEMITTIT
IOACHIM HARTMANN,
CONSISTORII DVICALIS CONSILIARIVS,
FR. ET SS. TH. D. HVIVSQVE P. P. O. FAC. THEOL. SEN. ET DEC.
SOCIETATIS SCIENTIARVM QVAE FRANCOFVRTI AD VIADRV
FLORET SODALIS,
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS HODIE PRO-RECTOR.

EX OFFICINA HEREDVM ADLERIANORVM.



Iussu Magnifici Domini Academiae Rectoris, morbo, a quo quam citissime benignissimum Numen cum liberare, sospitemque nobis reddere velit, detenti, Programma festivum scribo, ad Omnes Vos, O. O. Cives Academiae honoratissimi, officiosissime commonendos, ut Sanctissimas Nativitatis Redemptoris nostri Θεανθρωπίας festas dies ea religione et in fide iustifica, atque ejus continua comite sanctitatis omnimodo custoditae laudatissima rectitudine celebrare velitis, optimos quosque Christianos certissime decente. Dum in isthoc versor negotio objectum quaerens, Vestris pietissimis meditationibus dignum, incidit in manus Viri Summe Reverendi et Celeberrimi Halensium Theologi, D. IO. SAL. SEMLERI *Paraphrasis Epistolae ad Galatas cum Prolegomenis, notis, et varietate lectionis Latinae.* Invenio, non quidem pauca, a veritate γνησιας lutherana, id est, in Scriptura S. revelata, discedentia. Invenio et historicam cognitionem tangentia, et interpretis officia respicientia, et sensum Scripturae concernentia, aliaque quam plurima, quibus dilucidandis non inanis videbatur impendi opera. Eam in me suscipio, non hoc quidem Programmata limitandam, aut finiendam, inchoandam tamen, et nunc quidem quoad ea, quae in Prolegomenis habet Vir Celebratissimus, tempus et locum scriptae Epistolae spectantia, occupatam. Quamvis enim jam in praefatione,



fatione, quam prolegomenis etiam praemisit, plurima deprehendantur, quae asterismo notari merentur, incommode de Scriptura S., Lege, Redemptione, et prolatis in Form. Conc. sententiis, enunciata: in his tamen nunc non morabor, eorum autem suo loco non ero prorsus immemor, ubi eorum meminisse opportunitas paraphrasos Semlerianae postulabit. Quae autem nunc pertractanda sumo, ea solummodo tempus et locum scriptae Epistolae, 14 annos Gal. 2, 1. et Whistoni Chronologiam, respiciunt. De his itaque paucis dispiciemus, dilucidationes suppeditabimus, et, quae ad causam veritatis pertinent, sine ambagibus explicabimus.

§. I.

Vt ne videamur sine principiis agere, nec videamur, dum historica extra Scripturam venamur, varia, inconstantia, contradictoria, dubia, prout a Viro supra dicto factum est, sectari, veritatem biblicam et in Scriptura exposita historica amittere; pro judicio recto et stabili de loco et tempore scriptae ad Galatas epistolae formando, succinctam dabimus et chronologicam vitae Pauli delineationem, biblicam quidem et eam, quae, a conversione ad usque mortem ejus, continet, ex quibus non modo de *epistola ad Galatas*, sed etiam de *reliquis ejus epistolis*, atque actionum Apostoli temporibus, evidentissimum formari, et omni certitudini superstrui potest judicium. Habes eam adscriptis quoque a Nato Christo annis, sequentem:

A. C.

Saulus Tarsensis, Benjaminita, Philip. 3, 5. Gamalielis, Act. 5, 34. discipulus Act. 22, 3. inimicus Christo ejusque Evangelio, Act. 26, 9. complacentiam habens in
 34. Stephani caede Act. 7, 57. 8, 1. 22, 20. mox acerbissimus et crudelissimus Christi ejusque discipulorum persecutor Act. 8, 3. 9, 1. 2. 13. 21. 26, 10. 11. Gal. 1, 23. Phil. 3, 6. 1 Tim. 1, 13. erat, cujus tamen persecutionem Deus in Ecclesiae commodum direxit, dispersos adhibens ad convertendum Samaritanos et Camerarium Reginae Aethiopum, etc. Cap. 8, 1. seq. Cum eodem suo furore plenus

A. C.

- plenus Damascum Saulus proficisceretur, miraculose conversus est, ita tamen, ut libertate sua uteretur, an vocationem divinam sequi veller, nec ne, Act. 9, 3—19. 22, 6—16. 26, 12—19. Gal. 1, 16. sequutus tamen eam, de divinitate Iesu, suaeque vocationis, omnino convictus, Act. 26, 19. Gal. 1, 15. 16. baptisatus Damasci mox Christum praedicat, et contradicentes strenue refutat, Act. 9, 20—22. Post aliquot hebdomades, quod tempus *ἡμέρας ἰκανάς* non injuria Lucas nuncupat, Iudaeis de ipso occidendo consilium capientibus, et Aretae, Regis, Damasci urbis Praefecto, in ejus capturam intendente animum, insidias eorum effugit, in Arabiam profectus, Evangelium Arabibus praedicat; eoque praestito in urbem Damascum redit, Act. 9, 23, 25. 2 Cor. 11, 32, 33. Gal. 1, 17. Tempus, quo ista fiunt, protenditur in usque annum tertium, Gal. 1, 18. Tum Solyma Damasco profectus per 15 dierum spatium ibidem commoratus, Gal. 1, 18. 21. Actor. 9, 26—29. ab infestantium insidiis eripitur a fratribus Tarsum dimissus, Act. 9, 30. Gal. 1, 21—23. Dum Tarsum iter facit ibidemque moratur, fiunt interea, quae Lucas Actor. 9, 31—11, 24. recensuit a Petro in Lydda, Ioppe, et Caesarea, Stratonis Turri, gesta, et adversus objectiones vindicata, pariterque Antiochiae Syriae per Cyros et Cyreneos, volentibusque Apostolis a Barnaba facta sunt. Quibus expeditis Tarso Paulus a Barnaba Antiochiam Syriae perductus, cum illo per integrum annum ibidem mansit, quo currente Agabus ibidem de instante fame vaticinatur, quae regnante Claudio evenit, Act. 11, 19—29. Isthoc autem anno elapso, mandante Deo, uterque, Saulus et Barnabas, ordinantur ad praedicationem Evangelii inter Gentiles. Cum Barnaba itaque per Seleuciam Saulus in Cyprum proficiscitur, Act. 13, 1—4. ubi Saulus incipit Pauli nomine adpellari, Act. 13, 9. Insulam permigrantes tandem in urbem Paphos veniunt, Paulus Elymam punit,



A. C.

- et Praefectum insulae ad fidem adducit, Act. 13, 5—13. Tum navigant Pergenum. Proxime ad finem anni sunt in Antiochia Pisidiae. Die Sabbati Paulus in Synagoga praedicat. Gentiles Apostolos rogant, vt extra Sabbatum evangelium ipsis praedicent. Illi fideles factos ex Iudaeis confirmant. Sequenti Sabbato, concurrente tota fere civitate, praedicanti Paulo contradicunt blasphemantes Iudaei. Tum *solemni publicatione Univerſalem Evangelii praedicationem Paulus nunciat*, Act. 13, 46—48. finitis hoc ipſo tempore 70 hebdomadibus, ab Angelo Gabriele Danieli nunciatis, atque hinc finita hebdomade in iis ultima, foederali, Dan. 9, 27. et currente prima
38. ſequentis anni hebdomade. Per totam regionem Evangelium divulgatur, Act. 13, 49. Ejiciuntur Apoſtoli. Currit dum haec ſunt dimidium anni. Ejectio facta die 15 Aprilis Cycl. ☉. 17. ☾. 18. Act. 13, 50. 51. Tertia ante ejectionem Apoſtolorum hebdomade mortuus Tiberius die 26 Martii. Paulus et Barnabas in Iconiam veniunt, ubi ad finem anni 38 Pauli *ἐκταρις*, 2 Cor. 12, 2.
39. facta eſt. Manent in Iconia per longum tempus veritatem evangelicam docent, Act. 13, 51—14, 5. Oriente
40. tumultu diſcedunt dicti Apoſtoli in urbes, Lyſtram, et Derben, provinciae Lycaoniae, et circumjacentes regiones, praedicantes Evangelium, Act. 14, 6—21. Re-
41. deunt Lyſtram, Iconiam et Antiochiam Piſidiae, ubi plurima mala ſentiunt, 2 Timoth. 3, 11. Nihilominus presbyteros ſ. episcopos, Actor. 20, 17. 28.
42. Eccleſiis ordinant, Act. 14, 21-23. Tum per Piſidiam, Pamphiliam, Pergenum, et Attaliam, in Antiochiam
43. Syriae profeſti, Act. 14, 24-27. In ea civitate dum verſati erant per integrum annum et quod excurrit circiter duo meſes Jacobus Major Solymis occiditur, et conſecuta ſunt, quae recensentur Act. 11, 30. 12, 1-25.
45. Quibus factis, et Paulo cum Barnaba Solymis Antiochiam reverſis, in hac quidem vrbe oriuntur quaestiones de legis

gis

A. C.

- gis ceremonialis obligatione quoad converfos e gentilibus. Paulus cum Barnaba aliisque, mittuntur Soly-
ma, fit *Concilium*, quod dicitur, *Apostolicum*, Act. 15, 1-31. Post reditum manent duo gentium Apostoli adhuc in Antiochia. Tum abeunt, de Socio itineris non conveniunt, separantur, Act. 15, 32-40. Paulus
46. cum Sila per Syriam, Ciliciam, Derben, Lystram, profectus, Timotheum sibi associat circumcisum, Act. 16, 1-3. confirmat Ecclesias. Proficiscuntur porro in Phrygiam Magnam, et GALATIAM, praetereundo My-
siam, prohibitus a Sp. S. quo minus Evangelium praedicaret, Act. 16, 6. pergit in Troada, et, Paulo divinitus admonito, in Graeciam ad vsque Philippen. Unde graviter afflictus Paulus 1 Theff. 2, 2. in Amphipolin, inde in Apolloniam, tum in Thessalonicam transit, Act. 15, 41. 16, 1-40. 17, 1. Interea CLAUDIUS Roma pellit Judaeos, Act. 16, 1. Post aliquot hebdomadam commorationem apud Thessalonicenses Paulus Berrhoen venit, et post aliquot, 6 circiter hebdomadam moram Athenas profectus, Silam, et Timotheum, requirit, Act. 17, 1-15; interea dum nondum adsunt
47. illi, Evangelium Athenis praedicat, Act. 17, 16-34. Athenis initio anni 47. *Corinthum* migrat, ibidem per annos duo Evangelium docet, Act. 18, 1. 4. 7. 11. Anno commorationis secundo, scribit *epistolam ad Thessalonicenses priorem*. Postquam enim non Athenis, 1 Theff. 3, 1. sed Corinthi, Silas et Timotheus Apostolo se conjunxerant, Act. 18, 5., et denuo missus ad Thessalonicenses, ad horum in fide confirmationem Timotheus, ad Paulum reversus firmam eorum nunciaverat fidem, 1 Theff. 3, 2. 5. 6.; in pleniorum illorum corroboracionem scripta est epistola, cum post discessum ab Aquila, Act. 18, 1. 2. jam domicilio Justi vteretur Paulus, Act. 18, 7. 11. Finito tempore anni et dimidii, Act. 18, 11. oritur tumultus, v, 12. seq.; eo non obstante adhuc diu Corinthi
manet



A. C.

- manet Paulus, Act. 18, 18. Postea Cenchream, portum Corinthiorum, profectus, inde in Ephesum transit, Aquila et Priscilla Ephesi relictis post brevem non ultra
49. 2 hebdomadam moram Solyma proficiscitur, Act. 18, 18—21.; ita quidem, ut Caesaream Palaestinae, s. turrim Stratonis proxime attingat, inde adscendens (Solyma) ecclesiam (hierosolymitanam) salutans, tum Antiochiam Syriae petens. Ista Pauli in Hierosolyma praesentia est, cujus meminit Gal. 2, 1. seq.; tum quoque Barnabas Solymis fuit praefens. Antiochiae quo Solymis, et Paulus et Barnabas, profectus est, quo etiam Solymis discedentibus tunc temporis in univrsam orbem Apostolis Petrus venit, tum accidit ea Paulum inter et Petrum disceptatio, cujus meminit Apostolus, Gal. 2, 11—14. Antiochia discedens Paulus tendit in *Galatiam*,
50. Act. 18, 23. Gal. 4, 13. tum in Phrygiam, et porro Ephesum venit, Act. 18, 23. 19, 1. seq. Dum haec in Galatia et Phrygia geruntur, eveniunt Apollini, quae leguntur, Act. 18, 24—28. Ephesi statim aliquot discipulos de Joannis Baptismo instruit, et Spiritus Sancti gratiae donis ornat, Apostolus, qui per triennium in ista vrbe commoratur, Act. 19, 1. 8. 10. 17. 20. 22. 20, 1.,
51. conf. Act. 20, 31. Secundo ejus in Epheso commorationis anno scribit *Epistolam ad Galatas*. Commorationis ejus in Epheso anno tertio, ante finitum anni dimidium primum, scripsit *epistolam ad Corinthios priorem*, Conf. 1 Cor. 16, 5. 8. Ad finem vergente anno ejus in Epheso morae tertio, propter grassantem Pseud-Apostolorum audaciam, scripsit *epistolam ad Thessalonicenses posteriorem*, conf. 2 Thess. 2, 2. Durante itaque triennio isto facta quoque sunt, quae leguntur Act. 19, 1—40., atque 1 Cor. 15, 32. Fit tumultus ad finem anni tertii. Eo finito, Act. 19, 23. seq., 20, 1. Paulus Epheso in Macedoniam profecturus, postquam Aquila et
53. Priscilla jam discesserant, sublato edicto CLAUDII Iudaeos




A. C.

Judaeos Roma pellentis, Romam repetentes, iter facit per Corinthum, ibidem per spatium aliquot dierum haerens, quo tempore facta est ea Corinthiorum defensio, cujus primaria capita, laudesque, Paulus recenset 2 Cor. 7, 11., tum Corintho per Phoeben Romam misit *Epistolam ad Romanos*. Post brevem itaque apud Corinthios moram in Macedoniam, inde porro in Graeciam iter facit, ubi tres menses commoratur, at propter Judaeorum insidias redit in Macedoniam, et cum Philippensibus Pascha celebrat. Eo tempore scripsit *Epistolam ad Corinthios posteriorem*. Tum Solyma profectus ad festum Pentecostes proxime ante festum eo advenit, Act. 20, 6—38. in quo quidem itinere facta sunt, quae l. c. descripta leguntur ad vsque Act. 21, 18—31. Tertio post eventum die tumultus oritur, Act. 21, 18—31. Paulus in castra Romana fertur, Synedrio sistitur, in castra iterum, tum Caesaream, turrim Stratonis, ducitur, et coram Felice Procuratore se defendit, Act. 21, 18—24, 21. Felix causam differt, Paulum benigne habet, saepius accersit, cum ipso colloquitur, in eodemque statu manet Paulus stante Felicis Procuratura ad vsque mortem 56. Claudii et aliquantum ultra. Statim enim sub initium imperii Neronis hic Festum in Felicis locum mittit Procuratorem. Is, paucis post adventum in Caesarea diebus, Solymam profectus, et postquam paucos dies ibi commoratus erat, Caesaream redit, Paulum in iudicium producit, qui ad Caesarem adpellationem interponit, coram Agrippa et Festo egregie se defendit, et Romam mittitur, Act. 24, 22—27, 1.; quo post varia pericula, et in Insula Melite, in Adriatico sinu posita, eximia miraculose facta, pertingit, Act. 27, 2—28, 18. Romae captivus, benigne tamen habitus, ut, quo vellet loco esset, Evangelium praedicaret, stipendium sua sibi manu promerens, Act. 28, 16—31. Non diu post biennii captivitatis suae initium, cum in iudicio nondum stetisset,

B

scripsit



A. C.

- scripsit *epistolam ad Ephesios*, Eph. 3, 1. 4, 1. 6, 18—20. Eodem anno captivitatis, sed post defensionem coram iudicio jam expositam, Philip. 1, 12. 13. nondum conficius, qualem captivitas finem habitura sit, scripsit *Epistolam ad Philippenses*, Philip. 2, 17. 23. 24. 4, 22. Secundo captivitatis anno, jam de liberatione sua securus, scripsit
57. *Epistolam ad Hebraeos*, Hebr. 13, 18—24. Ad finem properante captivitate scripsit *Epistolam ad Philemonem*. Anno 3 Neronis vinculis solutus in Macedoniam ad Philippenses, Philip. 2, 23. 24. tum ad Philemonem in Phrygiam, prope ad Colossenses, Philem. v. 22. deinde Solyma profectus, Hebr. 13, 23. Tum Lucas in Aegypti Alexandriam, Paulus in Cretam, et relicto ibidem Tito Episcopo, in Asiam, Ephesum, contendit, et, hic constituto Episcopo Timotheo, iterum in Macedoniam profectus Nicopoli *Epistolam ad Titum* scripsit, deinde in Asiam iterum contendit, et Laodicea *Epistolam priorem Timotheo* misit, ad quem deinde profectus, forte in Hispaniam, teste Clemente, transiit, (conf. Rom. 15, 24.) postea iterum in Asiam rediit, vel, eo sc. itinere Hispanico non admissio, in Asia continuo mansit, tandem Troade per Graeciam Romam secunda vice venisse statuendum est, 2 Tim. 4, 13. Romae itaque ultimis annis Neronis captivus *Epistolam ad Colossenses* dedit. Inde quoque cum martyrii sui subeundi jam certus esset, *Timotheum posteriori* ad ipsum data *epistola*, omnium suarum epistolarum *ultima*, accersivit, Neronis anno 13, mox deinde capite plexus spem suam obrinuit egregie expressam, 2 Tim. 4, 8. 18. Vir tanti in Ecclesia Christi nominis, ut tanquam in ea regnantem Spiritus S. jam per Davidem pinxerit, Ps. 68, 28. quod et auctoritate miraculorum per ipsum praestitorum et dignitate dictorum, factorumque ejus, et divina virtute et efficacia veritatum in Epistolis suis expositarum, vere impletum est, et, quidquid ogganniant novarum rerum studiosi, et nostri seculi contem-

A. C.

contemptores revelationis, implebitur novis continuo exemplis in usque seculi consummationem. Caeterum statura corporis exiguus, vnde nomen Pauli sortitus, et voce non admodum suavi usus, putatur, propter calumniandi occasionem inde a Pseudapostolis desumptam, 2 Cor. 10, 10. Magni tamen Spiritus, quemadmodum et ipsi ejus adversarii ex literis ejus convicti, l. c. concedere, imo confiteri coacti sunt.

§. 2.

Dabimus super chronologicam hanc vitae factorumque Pauli delineationem aliquot illustrationes, quae justum fuisse calculum nostrum evincant.

1. Quod conversionem Pauli jam in eundem annum adscensionis Domini ponam, et a morte Christi ad usque praedicationis Evangelii vniuersalis initia non numerem nisi $3\frac{1}{2}$ annos, adeoque cuncta, quae Lucas ab Act. 1. Cap. 1. ad usque Cap. 13, 46. 47. recensuit, exceptis tamen iis, quae Cap. 12. toto enumerantur, per prolepsin ad Agabi vaticinium addidit, septimo demum a vaticinio anno impleta et post Caput 14. tanquam proprio loco ponenda sunt. Reliqua cuncta cur intra tempus $3\frac{1}{2}$ annorum a morte Christi gesta doceam, rationes suppeditat Gabriel, Dan. 9, 27. hebdomadem 70am docens foederalem, eam in cujus medio mors Christi accidit, hinc alterum hebdomadis foederalis, foederis scilicet populo Dei, Iudaeis, firmandi, dimidium post Christi mortem statim ponendum, et cum septimo a baptismo Christi anno finiendum. Tum cessat foedus, quod Iudaeos a reliquis gentibus distinxerat, Ps. 147, 19. 20. cessat autem vniuersali introducta Evangelii praedicatione, et gentium ad mysteria regni Dei et Christi vniuersali admissione. Cum itaque duce Scriptura ita statuam, manifestum est, quemvis alium calculum esse erroneum.

2. Demonstravi in Systemate Chronol. Bibl. Sect. III. Cap. XI. Natalem Christi diem incidere circa medium mensis Tisri. Hinc cum eundem calculum semper adhibeam, etiam



in Chronologia, quam §. 1. exposui, secundum eundem calculum anni computandi sunt. Quibus non sufficit novisse annum, quo facta evenerunt, qui hinc discuperent etiam hebdomades, quibus facta sunt; illi desiderio suo satisfactum invenient in Actuum Apostolorum Chronotaxi, quam per modum appendicis Capiti XII. Sectionis III. Syst. Chron. Bibl. adjunxi.

3. Tempus 3 annorum Gal. 1, 18. a conversione Apostoli numeratorum est incompletorum annorum, quemadmodum tres dies mortis Christi numerantur, et in annis Regum biblicis anni e. g. Abiae incompleti sunt, ut primum et ultimum non habeant plenum, completum. Ita autem numerandos esse, invictis argumentis ex iis, quae num. 1. dicta sunt, eruitur. Dum enim, quae Act. 1, 1—11, 30. et 12, 25. 13, 1—48. exposita sunt, non ultra $3\frac{1}{2}$ annos complent: et Apostoli duo, Paulus et Barnabas, per annum integrum in Antiochia haeserunt, Cap. 11, 26. jam non amplius supersunt anni 3 completi, sed solum $2\frac{1}{2}$ anni. Nunc Antiochia missi ad usque universalis Evangelii publicationem tempus consumserunt certe hebdomadam sex. Non itaque residui habentur nisi 2 anni cum hebdomadibus 20. Nunc porro a morte Christi ad usque conversionem Pauli, juncta aliquot hebdomadam commemoratione in Damasco, certissime cucurrerunt 18 hebdomades, praetereaque iter Damasco Solyma susceptum, mora 2 hebdomadam Solymis confecta 3 hebdomades consumserunt, profectio in Tarsum mora ibidem facta cum reditus in Antiochiam tempore 12 hebdomades sint, junctim oriuntur 33 hebdomades, qui subtracti ab annis 2 hebdomadibus 20 relinquunt tempus in Arabia consumtum anni 1 hebdomadam 39, cujus hebdomades 26 in annum nati Christi 34. 35. 36. a Diluvio 2765. 2766. 2767. pariterque in tres annos Iudaicos, et in tres annos Romanos cadunt, ita quidem, ut pars in annum ex tribus primum, pars in annum tertium computeretur.

4. Ante Concilium Apostolicum Petrum in Antiochia fuisse, nullo modo adstrui potest. Iis contradicit textus, qui expresse docet, ex iis, qui per Sauli persecutiones dispersi fuerant, Cyprios et Cyrenaicos in Antiochia Evangelium praedicatum fuisse,



fuisse, cumque Ecclesiam hoc modo ibi collectam esse Apostolis nunciatum esset, hos Barnabam, neutiquam Petrum, eo misisse, Act. 11, 20—22. Nec in controversia Antiochia suborta vlla mentio fit Petri, nec vllius ex 12 Apostolis, nec advenientium quidem e Solymis, verum ex Judaea qui motibus occasionem praebuerant.


5. Probe hoc quoque tenendum, quod, cum anno 46 Galatiam transiret Apostolus cum suis, evangelium in illa provincia ab ipsis praedicatum non esse, prohibitis quippe a Spiritu Sancto. Vnde infallibiliter stat sententia, illud *πρότερον* Gal. 4, 13., ad illam profectionem neutiquam pertinere.

6. Anno 49 Corintho per Ephesum Solyma proficiscitur, Act. 18, 18. 19—22. Expresse, Hierosolymam tendere Apostolum, dicitur v. 21. quod et v. 22. eo innuitur, quod, postquam Caesaream Palaestinae venerat, dicitur ascendisse (sc. Solyma v. 21.), et salutasse Ecclesiam (sc. Hierosolymitanam) tum descendisse in Antiochiam. Eaque Solymis commoratio Pauli Festo Pascharis, quod hic, vt Jo. 5, 1. *ἑορτή* vocatur *κατ' ἐξοχήν*, maximopere notanda est iam eo capite, quod factae sunt et profectio, et commoratio, ad expressum mandatum divinum, sive, vt Apostolus loquitur, *κατ' ἀποκάλυψιν*, ex quo iam a) *quilibet* intelligere debet, gravissimas fuisse hujus profectionis, easque divinas, rationes. b) *Rem* penitus consideranti et historiam Apostolorum adhibenti non potest obscure esse, incidisse hanc profectionem, cum instaret Apostolorum separatio et in vniversum discessio ad implendum mandatum Christi, Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. Namque per clarissimum textum Gal. 2, 8. 9. praesentes Solymis tum erant Apostoli, ex quibus Petrus et Joannes expresse nominantur. Post quatuor annos completos iterum, ad festum Pentecostes quidem, Solyma proficiscitur Paulus. Tum vllius Apostoli non vlla est tanquam Solymis praesentis mentio. Jacobus autem, frater Domini, Ecclesiae Solymitanae tum praecerat, Act. 21, 18. Vnde infallibiliter sequitur, disces-

phys

B 3

sum



sum Apostolorum in vniversum durante hoc temporis inter-
 vallo factum esse, adeoque tum imminuisse, cum Apostolus
 Corintho per Ephesum et Caesaream Solyma tenderet anno
 Christi 49. *c)* *Causa*, propter quam ex mandato divino Paulus
 Solyma proficisci debebat, ab ipso Paulo affertur Gal. 2, 2. vt
 nimirum cum Apostolis conferret super Evangelium, quod Pau-
 lus praedicaverat inter gentiles, ne in vanum curreret aut cu-
 currisset. *d)* *Nunc* omnino cognitum est, quod Apostoli stu-
 puerint, quum cernerent, etiam ethnicis non modo poenitentiam
 datam esse ad vitam aeternam, sed et eadem Spiritus S. dona,
 quae primo post ascensionem Christi Pentecostes die in
 Apostolos effusa erant, ipsis concessa esse, Act. 11, 15 — 18.
 coll. 10, 45. Cognitum est, quod etiam post conclusum Con-
 cillii Apostolici, Act. 15. ea conversis ex Iudaeis sederit mens,
 quae necessario legem Mosaicam ceremonialem Evangelio
 Christi jungendam postulabat, cuius indubium non modo ar-
 gumentum praebent, quae ipse Iacobus, frater Domini, non
 Apostolus, sed Ecclesiae Hierosolymitanae post discessum Apo-
 stolorum Episcopus, etiam post quatuor ab hoc conventu, Gal.
 2, 2. sq. de quo hic loquimur (n. 6.), profitebatur, quamvis
 facto discrimine inter conversos ex Iudaeis et conversos ex
 gentibus, Act. 21, 20 — 25. Cognitum est, etiam alios Iu-
 daizantes fuisse, qui ne istud quidem a Iacobo servatum discrimen
 admittebant, sed omnibus Christianis etiam legem cere-
 monialem custodiendam iubebant, quibus omnibus prioribus
 et posterioribus in Epistola ad Galatas obviam iuit Aposto-
 lus. *e)* Quoniam itaque in vniuersum orbem discedendum erat
 Apostolis, et ab ista sententiarum differentia (n. d.) Ecclesiae
 detrimentum gravissimum orturum erat; iussit Apostolum
 Deus per mandatum expressum et immediatam per revelatio-
 nem Paulo datum, vt ante Hierosolymam proficisceretur,
 quam Apostoli separarentur, atque cum ipsis conferret, vt
 vna sit veritas, vna via salutis, Evangelium vnum. *f)* Is
 quidem scopus (e) hoc quoque conventu cum Apostolis Pauli
 omnino obtentus est. Quod quidem expressa litera v. 9. doc-
 cet, suo loco vberime explicanda. *g)* In hoc itaque con-
 ventu

ventu vnio Apostolorum quoad doctrinam et mores ipsorum stabilita est.

7. Solyimis Antiochiam proficiscuntur Paulus et Barnabas. Apostoli separantur, dum illi Antiochiae commorantur. Petro Babylonem eundem, ibidemque, et ad regnum quondam Babylonicum spectantibus provinciis ab ipso praedicandum erat Evangelium, cuius non ambiguum indicium habetur, 1 Pet. 5, 13. In ea post Apostolorum discessum prima profectio Petri Antiochiam is venit, cum adhuc ibi subsisterent Paulus et Barnabas. Memor omnino Petrus vnionis, quam cum Paulo et Barnaba Solyimis sanxerant Apostoli (n. 6. f. g.), eidem prorsus se conformabat. Postea autem a Jacobo aliqui venerant. Quae locutio probe notanda, nec ad Act. 15, 1. adplicanda est. Designat enim Episcopatum, Presbyterium, praesidium Jacobi in Ecclesia Hierosolymitana, nec vnquam adhibita est, quamdiu Apostoli, ante eorum segregationem et discessum, iunctim Solyimis manebant. Postquam itaque aliqui a Jacobo venerant, consuetudinem, eamque concernentes mores mutabat Petrus, graviter propterea a Paulo reprehensus.

8. Antiochia discedens Paulus in Galatia Evangelium τὸ προτερον praedicavit, omnesque, vnioni cum reliquis Apostolis (n. 6. f. g.), convenienter, docuerat libertatem a iugo legis ceremonialis, et salutem sola in Christum fide obtinendam praedicaverat. Eodemque modo vsus erat in Phrygia. Tum Ephesum venerat.

9. Dum in Epheso versabatur, provincias Galaticas ingressi sunt alii Christiani, iidemque e Judaeis conversi, qui contraria, et vniversalem Christianis servandae legis Mosaicae obligationem seu necessitatem moralem ad Christum conversos docebant. Quibus in hac quidem epistola se Paulus opponit. Vnde, Epheso scriptam esse, consequitur, hinc de *scriptionis loco* dubium esse non potest vllum.

10. Quod autem ad *scriptionis tempus* attinet; id quidem certo modo per dicta (n. 9.) iam determinatur, quamvis

vis



vis cum latitudine aliqua. Cum enim Ephesum Paulus venisset circa initium Anni a Nato Christo 50. (§. 1.) vt ante annum 50 non potuerit scripta esse epistola, omnino consequitur. Et cum *ετω ταχέως* a veritate amotos Galatas dicat Apostolus, non potest scriptio dilata poni vsque in Annum 52, tertium Ephesinae habitationis Pauli, quae trium annorum fuit (§. 1.). Restat itaque, vt vel anno 50 vel 51. anno Ephesi commorantis Pauli vel primo; vel secundo scripta sit. Qui autem pensitauerit 1. quod Pseudapostoli Judaizantes post Apostoli demum discessum in Galatiam venerint. 2. quod non vni vrbi Apostolus scripserit sed toti provinciae, quae pluribus oppidis consistit, quae inter *Ancyra* quondam tanquam metropolis eminuit, quod itaque error per integram provinciam disseminatus fuerit, quod temporis non admodum exigui spatium requirit. 3. quod tanto maius temporis intervallum exigatur, quanto magis certum est, neutiquam levi et inani cognitione imbutos, sed eximia fide, ex qua beatos eos Paulus collaudat, praeditos fuisse Galatas, Gal. 4, 14. 15. 4. quod etiam non exiguum tempus requirat fama, ex Gallograecia ad Apostolum Ephesi degentem mutatum fidei statum Galatarum transferens; vt jam nihil dicam de eo, quod et cum fratribus, qui cum Apostolo erant, quorumque scriptionis societatem Apostolus allegat, Gal. 1, 2. conferendum fuerit de argumento epistolae: qui inquam, ea cuncta probe pensitauerit, et iusta rem lance ponderaverit, eum arbitror persuasum et certum iudicaturum, non potuisse primo commorationis Pauli in Epheso anno epistolam exaratam esse. Secundo Anno, hinc 51. a N. C. scripta sit oportet.

§. 3.

Adeo ea cuncta, quae dixi (§. 1. 2.), clara sunt, et perspicua, per ipsam Scripturae literam, vt certiora ex adfertis humanis, historicisque hominum enumerationibus, exspectari non possint. Nihilominus laeta manu arripui librum, cuius Auctor *SEMLERVS* non historica modo epistolae spondebat, sed ea quoque spondebat historica, quae ingentem ad concipiendas



piendas res in epistola expositas exhibitura sint vtilitatem. Fateor autem ingēnuē, me, quae sperabam, non invenisse. Recensionem diversarum maxime sententiarum, dubium scriptoris, in acceptanda ex his vna atque altera, animum, peruersum agendi modum, historica ab hominibus efficta non secundum normam Scripturae, sed Scripturae historica secundum hominum fictions metiendi, aliaque multa, Virum Theologum et Doctorem Evangelicae Ecclesiae, ad Scripturae S. doctrinas et Libros Symbolicos iuramento adstrictum neutiquam decencia, deprehendi. Neq̄ id quidem mirum esse cuiquam potest, qui legit, quod, vt alibi fere constanter, sic etiam hic, et in ipsa jam praefatione, quam Paraphrasi suae et Prolegomenis praemisit, Scripturae S. conformes doctrinas de Lege ejusque vsu, de Satisfactione Christi, de Justificatione per solam fidem ex imputatione iustitiae Christi, de Evangelio ejusque cum Lege nexu, ipsumque articulum de Scriptura S. non modo sugillet, sed hermeneuticam quoque auctoritatem iisdem temere abjudicet. In quibus omnibus profecto nihil quidquam praesidii Viro praestare potest, quod in tanta sua a vero tramite deviatione se sibi conscium laudat fidelis et probi consilii et propositi, et quae plura pag. penult. praefationis habet. Quis enim est, qui ignoret, quod ejusmodi propriae laudes communia sint frivole errantium effugia fines bonos praetexentium, in quo simul immemores sunt, quod divus Paulus eos condemner, qui bonos fines malo omine obtinendos quaerunt. Imo quis est, qui nostri seculi morem nesciat, quo quisque pessime errans suas clamat convictiones, ipse, quid ad convictionem requiratur, ignarus: quo quisque tenebras suas mundo offendens de illuminatis gloriatur temporibus: quo quisque bonos fines, emendatoris doctrinae morumque correctoris ipsum se manu largissima mactans, praetexit. Sed de his alibi suo tempore in progressu harum dilucidationum. Videamus nunc quidem, quomodo in his, quae jam nostri propositi sunt, agat et versetur.



S. 4.

Primo quidem acerbas prodit querelas de caligine historiae veteris tanta, ut nec de autographis Apostolorum, adeoque nec de autographis epistolarum Pauli aliquid, vel comminiscisustineat. In quibus, ut quadantenus veritas inesse possit, ita tamen, ut proposita sunt, neuriquam deprehenditur, quia omnino de autographis loquitur antiquitas. Nolo nunc allegare *IUSTINUM Martyrem in defensione secunda pro Christianis*, qui scripta Apostolorum in Ecclesiis publice praelecta enarravit, quamvis ex dictis iudicatu proclive fir, in illis Ecclesiis, ad quas *αὐτόγραφα* missa erant, praelecta esse ipsa *αὐτόγραφα*. Ad testimonium provoco *TERTULLIANI*, quod habetur in ejus libro de *Præscriptione haereticorum*, quem ad annum 207 retulit *CAVEVS*. Is autem expresse testatur, quod in Apostolicis Ecclesiis *ipsae authenticæ* Apostolorum *literae* praelegantur: et in Achaia *Corinthum*, in Macedonia *Philippin* et *Thessalonicam*, in Asia *Ephesum*, in Italia *Romam* expresse nuncupat, ex quibus de reliquis Apostolicis Ecclesiis judicare quisque poterit. Habemus etiam aliud ejus testimonium in Libro ejus IV. adversus *Marcionem*, ubi distincte docet, quod Ecclesiae, quod ab Apostolis obtinuerunt, sancte custodiverint. Et iterum provocat ad *Corinthios*, pariterque ad *GALATAS*, et rursus ad *Philippenses*, *Thessalonicenses*, *Romanos*, *Ephesios*, eodemque loco testatur, quod Apostolica scripta vsque ad illa tempora absque corruptione perduraverint. Est tandem adhuc aliud *TERTULLIANI* testimonium in ejus *de monogamia* libro, Cap. XI., ubi *graecum authenticum* opponit lectioni, quae *in usum exiit*. Provoco ad testimonium *IGNATII* in Epistola ad *Philadelphios*, ubi Cap. 8. non modo de scriptis *Originalibus*, sed etiam de *archivis* Ecclesiarum, in quibus tum illa, tum in aliis Ecclesiarum archivis illorum *αὐτόγραφα*, adservabantur, loquutus est. Provoco ad *Chronicon Alexandrinum*, quod exhibet *Corpus Bizantinae Hist. P. III.*, additum eidem est ad initium *Fragmentum Diatribes de Paschate*, quod *PETRO*, Alexandrino sub initium Sec. III. Episcopo, tribuitur, in quo Auctor

stor Fragmenti provocat ad *ἡρώξερον* Evangelii Joannis, quod Ephesi adservaretur et veneraretur (*προσυνετα*). Velim comparentur hic ea, quae de his testimoniis dudum edisserui P. I. *der ausführlichen Betrachtungen über die Geschichte Jesu*, Ann. 89. 92. 122., et cuncta quoque ponderentur, quae ibidem tum in textu, tum in notis, de providentia divina, in conservatione Scriptorum Sacrorum demonstrata inde a § 61 sq. sq., proposui. Sufficiunt ea quoque, quae de archivis ibidem dicta sunt, ad dijudicandum temerarium adfertum Viri, quod nihil de loco, qui servavit Apostolorum ipsa documenta, nihil de iis, qui primum descripserunt epistolam aliquam in publicum suorum usum, ad posteros transmissum sit, ut mirer in his laborare Virum. Verum in his diutius morari nolo, cum causam primariam non tangunt.

§. 5.

Miratur porro Vir Cel. qui factum sit, ut historicorum ejusmodi testimoniorum nihil nec a TERTULLIANO, nec ORIGENE, nec EVSEBIO etc., collectum sit, cum tamen ista non exigui sint momenti ad historicam auctoritatem, et ad justam praestantiam et indubitata fidem talium societatum. De TERTULLIANO modo vidimus cuncta indecenter dissimulasse Virum, vel, quod ignorabat, traduxisse. Quod ad ORIGENEM spectat, is omnino cunctos libros canonicos N. T. recensuit, in *Homilia in Josuae Librum*. Nomina et ordinem, quibus eos designavit, adduxi l. c. Not. 124. atque in libro, cui titulum feci: *Kurze Betrachtungen über wichtige Stellen der heil. Schrift, Ausführungen* &c. &c. Th. I. Cap. II. Betr. III. §. 17. Atque EVSEBIUS et ipse catalogum Scriptorum canonicorum N. T. reliquit, *Hist. Eccl. Lib. III. Cap. XXV. pag. 97.* et ORIGENIS recensionem librorum N. T. ab ea, quam diximus, diversam adduxit, *ibid. Lib. VI. Cap. XXV.*, eam tamen, quae minus completa est, atque illa, quam ex *Höm. in Josuam* allegavi. De caetero humana recensio quaecunque non potest magni momenti judicari ad auctoritatem historiam



cam divinatorum scriptorum, praesertim cum in his ipsis historicorum ad ea spectantium tam sufficientia indicia exhibentur, ut ex iis, quae ad sensum Scripturae intelligendum faciunt, abunde haberi possint. Hoc autem quoad circumstantias loci et temporis hic locum habere, sat manifesto evincunt ea, quae docuimus §. I. Quod autem adsertum suum Vir probare vult ex opinione TERTULLIANI, quod epistolam ad Galatas Neophytus scripserit Paulus, quam fingere non potuisset, si historica, humana auctoritate consignata, de tempore ipsi innotuissent, eo nihil praesidii Viri sententia capere potest, cum si TERTULLIANVS ea historica, quae §. I. ex scriptura protulimus, scivisset, imo si inter scribendum ipsi vel 14 anni isti, quorum in ipsa hac ad Galatas epistola Cap. 2, l. mentio fit, succurrissent; ab opinione illa immunem futurum fuisse, nullam est dubium. ORIGENIS quoque sententia, quem porro pro illustranda sua hypothesi Vir S. R. adduxit, ab ea, quam TERTULLIANVS finxerat, adhuc diversa est, huc non afferenda. Et si non esset; eadem responsione, quam modo dedimus, removeretur.

§. 6.

Prosequitur Vir Celeberrimus et ex defectu designationis historicarum circumstantiarum diversitatem in designando ordine epistolarum derivat, quam apud scriptores diversosprehendimus. Quam ut ostendat, citat THEODORETVM, CHRYSOSTOMVM, alios. Et in ea deductione producitur etiam a Viro S. R. haereticus secundi seculi Marcion, quem adversus calamum amplissime strinxit TERTULLIANVS. Nolo id Viro opponere, quod cum antecessore suo, Dn. MICHAELIS claudicantem producat militem, nec excurrere volo in modum ejus proponendi, quo Marcionem commendat, TERTULLIANVM, non sine injuria, despicit, contemnit, vituperat. Quid? gaudeat Vir suo Viro Marcione! Quid autem magni habuit is Marcion in hac nostra causa? Ad Galatas epistolam omnium Pauli epistolarum primam posuit. Et Marcion ipse Ponticus, et temporibus scriptae epistolae propior, testis non indignus fide! Quis non intelligat, conferens, et cum Scriptura comparans

parans haec, et quae diximus §. 1., quod *Marcion* etiam in hac causa fuerit in errore, et quod hic error ideo tanto gravior sit, quia non solum Scripturae adversus est, sed etiam, quod *Marcion* Galatarum terrae propinquus, natione Ponticus, veritatem, etiam, ut homo, melius scire potuisset. Cum enim certum sit, Epistolam ad Thessalonicenses priorem ante scriptam esse, quam ad Galatas (§. 1.); ab errore vindicari *Marcion* neutiquam potest. Quae reliqua pro *Marcione* suo Vir S. R. affert, ea non gravioris sunt momenti: *Nullam fuisse Marcioni causam, cur ordinem et seriem eo modo institueret, qui propterea reprehensionem Romanensium incurrere poterat!* Quasi non satis cognitum sit, ordinis mutationem etiam aliis Apostolorum epistolis, nimirum catholicis, accidisse, et quasi non abunde ob mutationem factam *Marcion* reprehensus esset! At, quid tandem haec cuncta faciunt ad demonstrandum, magni momenti futurum fuisse, si humana historia assignasset tempus scriptae epistolae? Nonne sufficit, Scripturam Sacram id tempus satis superque definire (§. 1.)?

§. 7.

Occasione eorum, quae de *Marcione* vidimus, Vir S. R. etiam successione Episcoporum, et eorum, quae ad collectionem canonis attinent antiquam, incertitudinem arguit. De his alio tempore pluribus dicturus sum. Caeterum conferri possunt quoad ultimum momentum ea quoque, quae de canone dixi in *der ausführlichen Betrachtung der G. J. l. c.* Tum Vir S. R. eandem docet incertitudinem quoad locum, ex quo scripta sit ad Galatas epistola, eamque inde probat, quod aliquae codicum subscriptiones, et quidam ecclesiastici Scriptores Roma scriptam esse perhibeant, quam tamen sententiam rejicit Vir Celeb. et jure quidem rejicit, in eoque nos sibi consentientes habet. Incertitudini per Virum adstructae oppono certitudinem, ex Scriptura S. de quaestione ista habendam. Dicam brevibus omnem causam. Homines ecclesiastici de tempore et loco scriptionis epistolae antiquis temporibus vel convictionem habuerunt ex Scriptura ipsa, ex qua quippe



discenda maxime erat (§. 1.), vel per traditionem Patrum et Episcoporum continua serie succedentium, ad quam TERTULLIANVS II. cc. provocat. Quod aliqui, imo multi, eam sibi certitudinem non acquisiverunt, indifferentis eorum, quoad haec externa, animi indicium, certitudinem rei *objectivam*, plurimorumque, nimirum eorum, qui convictionis adductis principiis recte vsi sunt, etiam *subjectivam* certitudinem non tollit. Nec itaque propter illorum vel ignorantiam, vel incuriam, vel errorem, statim tota causa pro incerta traducenda est, dum aut Scriptura causam evincit, aut superest aliquis, vel vnicus, qui de ea ex traditione vel tantum modo exhibet, vt quae deficiunt, per historiam Sacram, ex Scriptura S. haustam, suppleantur. Quod in hac causa tanto magis applicandum est, cum Scriptura S. tum de tempore, tum de loco scriptae epistolae nos abunde instruat (§. 1.). Verum, tristis ea est proh! seculi nostri ratio, vt multi certitudinem, quam per Sacri Codicis literam habere poterant, debebant, futiliter spernant, Sacras literas tanquam scriptum humanum tractent, imo eam verecundiam, quam scriptis hominum dicendam largiuntur, et ipsam Sanctis Bibliis denegent, et maiorem opinionibus, figmentis, nugis hominum habeant fidem, quam divinis S. Scripturae eloquiis, omnino simillimi priscis Iudaeis, quos reprehendit Ieremias Cap. 2, 13. impudentiae aliquando laturi poenam.

§. 8.

Pergit deinde Vir S. R. et diversos aliquos eruditorum calculos de tempore Epistolae adducit, in quibus quoad tempus biennii Ephesini et annum a nato Christo 51 consentio LVD. CAPELLO, a quo tamen discedo, cum eundem annum facit *Claudii* duodecimum, qui ejus erat annus *decimus*; discedo etiam in eo, quod epistolam post duas ad Thessalonicenses atque eam ad Titum scriptam vult, cujus scriptionis tempus post primam ad Thessalonicenses scriptam incidit, ante quidem, quam scriberetur prior ad Corinthios et posterior ad Thessalonicenses. Conf. *Systema Chronol. Bibl. meum*, p. 893.

894. 898. Caeterum etiam Ill. Dn. MICHAELIS epistolae scrip-
 tionem in eundem annum 51 posuit. In reliquis haerere
 nihil opus est, cum ex §. I. cuius manifestum sit, quemvis
 alium scriptionis annum quoad hanc ad Galatas epistolam neu-
 tiquam posse acceptari. Quae deinde de divisis societatibus
 discipulorum Petri et Pauli enumeravit Vir S. R. postea vnitis,
 et vnione ista, sententiae, quod duo Apostoli et ipsi societatem
 publicam sanxerint in munere obeundo, superstructa, eo ani-
 mo et durius in PAPIAM et IRENAEVM invehatur, ea bel-
 lam fabellam sapiunt, quare nec vilo documento vel argumento
 ea instruere potuit. Superfuisse Iudaizantium Christianorum
 haeticorum non paucos, quis ignoraverit. At quod ii cum
 Catholicis s. Orthodoxis dein in societatem coaluerint, id pro-
 bari non potest. Multoque minus probari, quod ea coalitio
 in sententia de Apostolorum vnione fundamentum habuerit,
 quod eo directum hic est, vt haec Apostolorum vnio negetur,
 adeoque nec adstrui, nec admitti potest. Eam vnionem enim
 Apostolorum in ipsa hac epistola Paulus aperte indicat, dum
 Cap. 2, 9. dextram *vnionis* (*κοινωνίας*) sibi et Barnabae dedisse
Jacobum, et *Kepham*, et *Ioannem*, asserit, vt ea Apostolorum vnio
 in munere obeundo omnino negari nequeat. Eam enim vnio-
 nem Deus voluit, adeoque ante Paulo per immediatam reve-
 lationem, vt Solyma proficisceretur, injunxit, quam Apostoli
 in vniversum praedicandi Evangelii causa digrederentur, vt
 ne in ipsis Ecclesiae primordiis, inter ipsos Apostolos oriretur
 dissensio, facta vniversali praedicatione vniversam inuasura
 Ecclesiam. De ipsa hac causa pluribus suo loco ad Cap. 2, 9.
 dicendum erit. Hic solummodo hoc notandum, quod vnio
 Apostolorum, a Deo intenta, iter Hierosolymitanum hoc
 Paulo mandante, vere obtenta sit, data *κοινωνίας* dextra: quod-
 que ea vnio neutiquam hoc vnum pro objecto habuerit, quod
 Paulus et Barnabas Evangelium inter gentes, Iacobus, Petrus
 et Ioannes inter Iudaeos praedicare deberent, hoc enim Paulo
 iam dudum a Christo, Act 26, 17. 18. atque deinde quoque
 vtrique Paulo et Barnabae a Spiritu S. Act. 13, 2. (conf. §. I.)
 commissum erat: verum quod vnio respexerit doctrinam
 Evan-



Evangelicam, quam Paulus haecenus praedicaverat, in eaque consensum inter Apostolos, adeoque ad Evangelium praeprium habentibus et circumcisis abhinc aeque eademque modo praedicandum. Ea erat *κωνωνία*, quam data dextra firmaverant Viri Sancti, Gal. 2, 9.

§. 9.

Accingit nunc semet Vir S. R. ad explicandum de tempore et loco scriptae epistolae suam sententiam. Verum uti imaginatio tulit, nunc iterum, ut semper Vir solet, heterogenea adspersit, et vindicias falsae suae hypotheseos, epistolas in solis ministrorum Ecclesiae manibus fuisse, hinc, quod jam alibi opinatus est, fratrum nomine solos intelligendos esse Ecclesiae ministros, scribit, de quibus vindiciis, et adplicatis etiam ad inanes Viri de Canone ideas, ad Cap. 1, 2. dispiciendum, adeoque hoc quidem loco nihil dicendum nobis erit. Sed intervallorum nondum finis est, comparanda iterum interspersis multis aliis sunt varia ex epistolis ad Corinthios, quamquam jam nondum vlla existerat, et nec quidem occasio ad eas praesto erat, quamvis sint, in quibus Pseudapostoli illi cum his, qui Galatas seduxerant, plus vno, non tamen omni, respectu comparari possint. Tandem itaque, postquam immista tribus §§phis heterogenea erant, ad rem ipsam, sed, ut ait, *nondum studiosius*, venit, vnumque cum altero jungit historicum errorem. Primum iter Pauli ad Galatas *fingit* incidere in Annum vulgarem 47. Erat annus 46, at istud iter in censum non venit, quia tum Galatis evangelium non praedicavit Apostolus, a Sp. S. prohibitus, Act. 16, 6. Secundum iter, quod ad praedicationem Evangelii inter Galatas primum erat, Act. 18, 23. post annum a primo dicto 3. 4. 5. ponit. Erat distantia hujus itineris a priori illo fere 4 annorum, non 3. non 5. quos dubius Vir haerens adjicit. Nunc iterum per errorem ponit, epistolam scriptam esse *ante* hoc Pauli iter secundum, eumque errorem eo probare vult, quod Paulus τὸ πρότερον Gal. 4, 13. scribit, quod non potuisset, uti putat


putat Vir S. R. si jam bis Ecclesias vidisset. At ea cuncta falsa sunt. Iter, quod primum Vir dicit, emetiens Apostolus non viderat Ecclesias, quae collectae nondum erant, in Galatia, nec tum ab Apostolo instituebantur, ut dixi. Πρώτερον itaque istud pertinet ad ipsum illud iter, quod secundum SEMLERVS facit, et epistola post illud iter scripta ponenda est (§. I). Iter anno 49 factum cum institutione Ecclesiarum Galatarum, scripta epistola anno 51. Vnde Vir S. R. iterum versatur in errore, dum scribit, cum, quem sc. frustra et inaniter quaesivit, characterem temporis occupare trium annorum intervallum, in quo nondum elapso scripta sit epistola. Intervallum enim a gratis assumpto primo itinere non trium, sed quatuor annorum est, deficientibus aliquor hebdomadibus, 46. 47. 48. 49. Facto calculo Vir ejus futilitatem intelligit et ipse profitetur. Aliam itaque methodum eligit, et ad veram conclusionem, sed novis erroribus commistam, et per principia nec vera, nec adplicanda, pertingit.

§. 10.

Praemissa longiori textus Gal. 2, 12—20, paraphrasi ad causam parum accommodata. Fingit enim, Paulum Galatis objicere, si praesens sit, tum Galatas ipsi vnice studere, (quod videtur saltim occupare, ut aliquoties hoc expertus sit) vix licet dubitare, bis jam Paulum versatum fuisse inter Galatas, et epistolam pertinere post illam narrationem, Act. 18, 23. Pearsonius hoc alterum iter ponit anno 54. in finem Claudii, alii aliquot annis ante, a. 51. 52. — itaque pertinebit epistola in annum 52. 53. ita quidem, ut forte Ephesi scripta sit, quam sententiam etiam Oecumenius ab antiquioribus traditam adhuc commemorat. Ea omnia quam sint misera, parum pensitata, et nulla, vix calamo exprimi potest. Vix vllum est Viri verbum, cui non contradicendum sit. a) Illam conditionem, si praesens sit, Paulus ignorat, qui quod intensissimum sibi, cum praesens fuisset

D

πρώτερον



πρότερον praedicans Evangelium, demonstraverint amorem, adseverat. *b)* Aliquoties hoc omnino, imo multoties expertus erat, sed in vna eademque inter ipsos commoratione, qua *πρότερον* ipsis Evangelium praedicabat. Vnde *c)* spuria ratione inde inferitur, quod *bis* jam inter Galatas Paulus versatus sit. *d)* Hoc tamen verum est, post illam narrationem, quae est Act. 18, 23. referendam esse scriptionem epistolae. Ast *e)* iterum sequitur coequentem ducem *Pearsonium*, ipse Chronologiae ignarus, quare simul alios accersit, eosque vero temporis propiores, sed nondum rectos. In annum 49 pertinet commoratio Pauli cum Galatis. Epistola in annum 51. *f)* Vir praesumptione plenissimus contra antiquos clamaverat, multum sibi tribuens, quod lucem obscuris temporibus veterum daturus sit, illuminatissimos enim hodie *scilicet* vivimus annos, nescit ubi pedem figat, per omnes suas propositiones haesitans dubium in omnibus animum per *si*, per *videtur*, per *vix*, per *alii aliquot*, per *forte* prodit, ut nihil determinati, fixi nihil, nihil certi, constantis nihil apud Virum invenias, et qui luce collustrare orbem spondebat, et ex obscuritate liberare, eum in tenebris sentias ambulantiem. *g)* Tandem, qui antiquos despexit de tempore scriptionis epistolae nihil habentes, eum cernimus, auxiliante *Oecumenio* ad *antiquiores* sumere recursum! ohe! Ista profecto est hominum nostri aevi facies, ut qui tanquam Reformatores se offerunt, ne speciem quidem virium ad emendandum prae se ferant, et qui lumina se mundi jactant, in tenebris eos ambulare cernas, titubantes, dubios, aequivoce doctrina imbutos, vacillantes, et tandem, ne omnino quales sint deprehendantur, ad eos, quos spreverant, veteres redeunt, ab iisdemque mutuantes. Bene factum! Redeant semel ex paroxismis suis.

§. II.

Sed nondum satis est ambiguitatis et vacillationis. Praefecto est novum exercitium! Id eo tendit, ut evincatur, iter hiero-



hierosolymitanum, cujus mentio est Gal. 2, 1. 2. esse illud ipsum, quod Act. 15, 2. describitur, et contentionem Pauli cum Petro, Gal. 2, 11. sq., Antiochiae incidisse proxime ante istud iter, quo Paulus cum aliis Antiochia contendit Hierosolymam, Act. 15, 2. Videamus, quomodo id efficere laboret Vir Cel. **SEMLERVS**, sive proprio sive alieno loquens Spiritu. Omitto ea, quae pro more ad rem non facientia is immiscuit, e. g. quod Lucas omnino non enumeret ea, quae Paulo cum Petro et Barnaba Antiochiae intercesserunt, vel obscurius eorum meminerit, Act. 15, 37. sq. Conceditur primum, negatur secundum, quia de eo v. 37. sq. nec vola nec vestigium. Verum ad rem! Sumtionibus a Viro exhibitis statim addimus responsum.


1. Solymis junctim fuere Saulus et Barnabas, Gal. 2, 1—9. & fuerunt, quod patet ex Act. 15, 2. 12. 22. 25. At eandem Act. 15. descriptam praesentiam doceri Gal. 2, 1—9., hoc per petitionem principii *dicitur, et falsum est.*

2. Apostoli (Solymis sc.) Paulo peculiarem dioecesin dederunt, τὰ ἐθνη, Gal. 2. 9. & Falsum. Eam non obtinuit ab Apostolis, sed a Christo Act. 26, 18., et Spiritu sancto Act. 13, 2. Non Solymis, sed prope Damascum et in Antiochia, et de eo Galat. 2, 9. sermonem esse, petitio est principii.

3. Paulus cum Sila iter ad dioecesin sibi Solymis ab Apollis datam suscipit, Act. 15, 40. & Falsum; suscepit enim jam Act. 13, 4.

4. Petrus inter eos fuit, qui Act. 15, 1. dicuntur ex Judaea venisse. & Falsum. Petrus tum fuit, Solymis, Act. 15, 4. 7., et Act. 15, 1. 2. non vllum verbum de Petro.

5. Petrus secundum Act. 12, 17. excessit ex omni regione Herodis, et Antiochiae haesit, et postea subinde ibi forte fuit. & Ista cuncta nuda figmenta sunt. Excessit Solymis forte



forte tum Petrus. Namque cum certitudine id ne quidem affirmari potest, cum neququam πόλιν ἑτέρον sed τόπον ἑτέρον habeat textus, quod et diversum in eadem vrbe domicilium significare potest. Verum detur. Certum est eo rediisse (n. 4.) Nec, quod omnem Herodis regionem reliquerit, textus habet. Multo minus affirmari potest, quod subinde Petrus postea Antiochiae fuerit, cui non modo repugnant, quae dicta sunt (n. 4.) sed reclamatione quoque textus Gal. 2, 1. 9., vbi Petrus Solymis praesens legitur, et v. 11. vbi Petrus dicitur Antiochiam venisse. Ergo non subinde ibi fuit. Nudis itaque figmentis, sumtionibus non probandis, et falsis, pugnandum et vincendum Vir Cel. sibi sumsit inutiliter. Continuat deinde quoque simili modo. *Est, inquit, operae pretium, hanc causam paulo diligentius requirere. Licebit enim hic quasi satis certum occupare, Paulum Gal. 2, 1. designare hoc ipsum iter, quod Act. 15, 2. describitur. Quasi id non esset in quaestione, adeoque manifesta disputaretur principii petitione!*

§. 12.

Quemadmodum spuria Viri SEMLERI methodus ex dictis (§. 11.) manifesta est, sic ex opposito per textus literam patet, non posse iter Gal. 2, 1. idem esse cum eo, quod Act. 15, 2. sq. legitur. 1. Textus Act. 15. nihil habet de Petro Antiochiae versante, nihil de controversia inter Petrum et Paulum. 2. Docet autem textus Solymis abs omni contradictione Perri, hunc Pauli, reliquorumque suorum, sententiae, accedentem Act. 15, 7. 3. Locutio Gal. 2, 12., quod aliqui venerint a JACOBO, indicio est, quod Apostoli non amplius congregati Solymis fuerint, sed solus Jacobus Episcopus Ecclesiae Solymorum. Ista enim locutio nunquam adhibita est, quamdiu Apostoli adhuc Solymis erant, sed Apostolis vel Ecclesiae junctim, neququam vni soli Apostolorum, vel Jacobo, tributa tum est legatorum missio, Act. 8, 14. 11, 22. 15, 23. 25. 27. 4. Textus Antiochia Solyma missos a recipientibus
eos


eos Apostolis, hinc Petro, clare distinguit, non itaque Petrus ex disputantibus Antiochiae fuit, nec cum legatis Solyma venit, verum ibidem praesens legatos cum reliquis apostolis recepit. 5. Textus longe diversa docet duo itinera. Vnum susceptum ex missione humana Act. 15, 2., alterum ex immediata revelatione divina, Gal. 2, 1. 2. Nec revelatio priori missioni tantum accessit ad fiduciam Paulo excitandam, sed ad unionem Apostolorum super doctrinam et vitam communem omnibus Christianis, Gal. 2, 2. 9. Vnde nullo modo potest iter Gal. 2, 1. dictum idem esse cum eo, quod Act. 15, 2. sq., describitur, nec controversia inter Paulum et Petrum confundi cum controversia inter Judaizantes et reliquos Christianos Antiochenos. Fuit inter hos Paulus, non fuit inter illos Petrus. Longe diversa sunt cuncta.

§. 13.

Verum redeamus ad tramitem et scopum. Cui bono haec disputata sunt (§. 11. 12.)? Nimirum volebat *Cel. SEMLERVS* evincere, Epistolam ad Galatas scriptam esse *ante* iter Pauli ad Galatas, quod facit secundum, cum per ea, quae §. 10. disputantem vidimus, licet pessima methodo, stabilivisset, quam et nos adstruximus, scriptionem epistolae, *post* illud iter factam, quod secundum facit ad Galatas. Destructis itaque principiis, quibus, quod *ante* iter illud scripta epistola sit, probatur, manet alterum, quod *post* illud iter scripta sit *Ephesi*, commorationis Pauli in ista vrbe *anno secundo*, qui est annus a nato Christo 51, manent, et firmo talo constituta sunt, quae (§. 1. 2.) deduximus.

§. 14.

Habet equidem plura ad eandem causam (§. 11. 12.) spectantia Vir *Cel. SEMLERVS*, sed ita comparata, ut causam, quam stabilivimus, minus tangant, multoque minus concutiant.



De iis etiam opportuno magis loco, in dilucidationibus ad paraphrasin Viri futuris, dicendi occasio dabitur. Nec haerebimus nunc in diversis eruditorum calculis chronologicis factorum Pauli, et scriptarum ejus epistolarum, quos adduxit Vir Celeb. in quibus et *Whistoni* calculum amplissime allatum deprehendimus, qui quidem plurima continet Textui Biblico contraria, in eo tamen rectus est, quod itinera duo Pauli (§. 11. 12. 13.) tanquam diversa et a se distincta, quamvis cum aliquot annorum errore, proponit: quod concordiam Apostolorum cum Paulo proxime ante Petri et Pauli disceprationem Antiochenam, licet iterum cum aliquo errore ponit, tandemque quod Pauli in Epheso commorationem trium annorum in annum Christi nati 50. 51. 52. ponit, in quibus omnibus, exceptis intermissis ab ipso erroribus, nobiscum sentit.

§. 15.

Claudamus itaque hic rivos, et meminerimus, de *tempore* scriptae epistolae ad Galatas cogitantes, quod idem Apostolus, epistolae scriptor in eadem ipsa epistola *tempus* nati Redemptoris Θεανθρώπου admirabiliter pinxit, Cap. 4, 4. non modo illud, quod secundum promissa divina, et vaticiniorum contenta, esse debebat, sed et illud, quod divinitus nostrae Redemptioni et promerendae per Christum Iesum filiationi, principio adplicativo omnium spiritualium et aeternarum benedictionum, constitutum, et ab aeterno a Deo Trinuno decretum erat. Misit Pater filium suum in mundum, natum a muliere, et legi pro nobis subiectum, ut cum filiatione Spiritum Sanctum obtineremus. Cumque hodie memoriam tanti beneficii, *nati nobis Redemptoris*, recolimus, enixe Vos, *Academiae Cives O. O. Honoratissimos*, rogo, tantam nobis in dato natoque Christo exhibitam Dei gratiam devotissima et fideli mente veneremini, ob eamque Deum celebretis, vitaeque justa, moribusque integris, fidem Vestram in Christum non mortuam, sed vivam esse, ipsis sanctis et ex fide ortis operibus



ribus demonstretis, vt commoda, per Christum nobis parata,
Vestra sint, Christianorum, corde, ore, opere, Deum glori-
ficantium, et Christo hic et in aeternum fruuentium, quorumque
felicitatum vllus non est futurus

FINIS.



SVB SIGILLO RECTORALI ACADEMIAE
ROSTOCHIENSIS

IPSA FERIA NATIVITATIS CHRISTI PRIMA A. R. O.
MDCCLXXXV.


1785





34
Hinc deinde, ut continetur in Capitulis huius
Vetus huius, et hinc deinde, ut continetur in
Capitulis huius, et hinc deinde, ut continetur in
Capitulis huius, et hinc deinde, ut continetur in

FINIS

278 SIGILLUM RECTORIS ACADEMIAE
ROSTOCKENSIS
1759 FESIA NATIVITATIS CHRISTI PRIMA A. R. O.
HOCERKIV







hierosolymitanum, cuius mentio est Gal. 2, 1. 2. esse illud ipsum, quod Act. 15, 2. describitur, et contentionem Pauli cum Petro, Gal. 2, 11. sq., Antiochia incidisse proxime ante istud iter, quo Paulus cum aliis Antiochia contendit Hierosolymam, Act. 15, 2. Videamus, quomodo id efficere laboret Vir Cel. *SEMLERVS*, sive proprio sive alieno loquens Spiritu. Omitto ea, quae pro more ad rem non facientia is immiscuit, e. g. quod Lucas omnino non enumeret ea, quae Paulo cum Petro et Barnaba Antiochiae intercesserunt, vel obscurius eorum meminerit, Act. 15, 37. sq. Conceditur primum, negatur secundum, quia de eo v. 37. sq. nec vola nec vestigium. Verum ad rem! Sumtionibus a Viro exhibitis statim addimus responsonem.

1. Solymis junctim fuere Saulus et Barnabas, Gal. 2, 1—9. & fuerunt, quod patet ex Act. 15, 2. 12. 22. 25. At eandem Act. 15. descriptam praesentiam doceri Gal. 2, 1—9., hoc per petitionem principii dicitur, et falsum est.

2. Apostoli (Solymis sc.) Paulo peculiarem dioecesin dederunt, *τὰ ἑθνη*, Gal. 2, 9. & Falsum. Eam non obtinuit ab Apostolis, sed a Christo Act. 26, 18., et Spiritu sancto Act. 13, 2. Non Solymis, sed prope Damascum et in Antiochia, et de eo Galat. 2, 9. sermonem esse, petitio est principii.

3. Paulus cum Sila iter ad dioecesin sibi Solymis ab Apollis datam suscipit, Act. 15, 40. & Falsum; suscepit enim jam Act. 13, 4.

4. Petrus inter eos fuit, qui Act. 15, 1. dicuntur ex Judaea venisse. & Falsum. Petrus tum fuit Solymis, Act. 15, 4. 7., et Act. 15, 1. 2. non vllum verbum de Petro.

5. Petrus secundum Act. 12, 17. excessit ex omni regione Herodis, et Antiochiae haesit, et postea subinde ibi forte fuit. & Ista cuncta nuda figmenta sunt. Excessit Solymis forte

D 2

